

QUÆR. 2° *Quid de MELCHIORE statuendum in primo casu?*

3° *An SABINUS, notarius, in secundo casu, ad restitutionem teneatur, ut in injustitia participans?*

4° *An valeat hæc excusatio : Nisi instrumentum tale confecero, ab alio notario conficietur?*

SOLUTIO :

20. — *R. ad 1^m Quærs.* Peccant graviter, si negligentia eorum sit gravis, et inde grave damnum alicui eveniat. Idcirco ad restitutionem sub gravi tenentur. *Vid. Comp. n. 20. — S. Lig. n. 230 et 231.*

R. ad 2^m Quærs. MELCHIOR, 1° peccat graviter per se, res sibi commissas protrahendo, et majus pretium postea ad eas accelerandas accipiendo, ut patet. 2° Item peccat graviter, tot negotia simul suscipiens, ut ea omnia tempore debito pertractare nequeat, si inde clientes grave damnum patiantur. Attamen ab injustitia foret excusandus, varia negotia simul suscipiens, si diligentia extraordinaria uteretur ad ea conficienda, v. g. si vigiliam protraheret in seram noctem. Ex hac eadem ratione majus stipendium accipere posset ad urgens negotium expediendum. 3° Facile peccat graviter, formas legales in scriptis omittendo, quia id facile in magnum detrimentum clientium suorum cedere potest, v. g. si propterea actus invalidi declarentur, si contractus corruant.

21. — *R. ad 3^m Quærs.* Agendi ratio SABINI est iniquitatis plena; cooperatur enim scienter injustitiæ gravi VICTORINI debitoris et VICTORIS ficti mutuatoris, qua damnum notabile creditoribus prioris inferitur. Ergo SABINUS, deficientibus aliis damnificatoribus, utpote cooperatur positivus, seu in injustitia participans, ad restitutionem obligatur.

R. ad 4^m Quærs. Minime gentium. Hæc enim excusatio sic sonat : « Nisi injustitiam hanc fecero, alius faciet. » Quid inde? Si alius furetur, ipse damnum resarcire debeat; si autem tu prior hanc iniquitatem patres, tu ipsissimus, et non alius, onus restitutionis subibis. Ergo, si tu coopereris furto aliorum, actum injustum conficiendo, teneris, his deficientibus, damnum resarcire, sicut alius quilibet ad id teneretur, si loco tuo hoc fecisset.

CASUS IX.

NOTARIUS 2°.

1° RUTILIUS, VIRGINIÆ nepti suæ, decem millia fr., donatione inter vivos, contractu a notario confecto, dedit; simulque EUGENIUM, nepotem suum, pro reliquis bonis hæredem universalem instituit. Sed notarius, in instrumento donationis, ex oblivione, consensum seu acceptationem neptis referre prætermisit. Mortuo paulo post RUTILIO, EUGENIUS formæ legalis defectum detegit et a iudice obtinet, ut donatio invalida declaretur. Hinc ipse, loco VIRGINIÆ, 10,000 francorum accipit; VIRGINIA autem a notario indemnitate pro damno repetit.

2° DARIUS, notarius, instrumentum publicum venditionis prædii alicujus confecturus, advertit contrahentes non verum venditionis pretium, sed

aliud multo minus in contractu publico declarare, eo fine ut tributum minus fisco persolvant. Hoc non obstante, instrumentum perficit.

HINC :

QUÆR. 1° *An notarius in primo casu ad restitutionem erga VIRGINIAM teneatur, etiam in foro interno?*

2° *An DARIUS, notarius, in secundo casu, Gubernio debeat restituere, ob cooperationem in tributi defraudationem?*

3° *Quid, si DARIUS hanc pretii immutationem contrahentibus suasisset?*

SOLUTIO :

22. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Notarius certo tenetur ad restitutionem in foro externo, seu post judicis sententiam. 2° Tenetur etiam ad damnum reparandum in foro interno, si error ex negligentia graviter culpabili evenierit. Secus vero dicendum probabiliter, juxta multos, si omissio ex mera distractione, seu ex sola inadvertentia facta sit. Non datur enim obligatio restituendi in foro interno, seu ante judicis sententiam, ubi deest culpa theologica, etiamsi damnum eveniat occasione contractus vel quasi-contractus, ut in casu, prout ait *S. Lig. l. 4, n. 554. — Lugo. — Lacroix, etc., contra alios. — V. Comp. de Justitia, n. 661.*

R. ad 2^m Quærs. Non videtur inquietandus DARIUS, quia non constituitur ex officio ad tributum exigendum, seu, quia hoc ad ejus munus non pertinet. Recole dicta *de Restit. in specie, tom. 1, n. 755.*

23. — *R. ad 3^m Quærs.* Neque de injustitia aut peccato est arguendus DARIUS, notarius, etiamsi pretii immutationem contrahentibus suasisset; quia, si non peccant contrahentes, ut supra, ubi de tributis, dictum est, saltem probabiliter neque peccabit notarius ipsis cooperando, cum id impedire ex officio non teneatur. Etenim notarius, licet sit homo publicus, non est tamen tributis præpositus, et proinde non tenetur ex officio proprio ad tributa colligenda, vel ad eorum defraudationem impediendam. Ergo quoad tributa habendus est ut quilibet alius privatus.

CASUS X.

CUSTOS.

BARBATIANUS, custos agrorum et vinearum, rite quidem solet officio suo fungi; an vero in omnibus? hoc tibi perpendendum nunc venit. Hinc 1° pluries incuriosum in invigilando se habet, sed nescit utrum damnum inde fuerit subsecutum; 2° non raro se abscondit, ut incautos damnificatores, ex latebris prosiliendo, facilius deprehendat; 3° aliquando denuntiationem prætermittit, quia negotium tanti momenti non est; 4° pluries pecuniam accepit ne damnificantes proderet, atque etiam ad cenam a damnificatoribus invitatus, vel ab eis muneribus cumulatus, se minus rigidum exhibuit, cum damno tum privatorum qui indemnes effecti non sunt, tum fisci qui, ratione mulctæ infligendæ, lucro privatus est; 5° quandoque etiam, dum alios a damnificando arcebat, ipse damnificavit, nec officii circumstantiam in confessione aperuit.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quatenus in singulis peccaverit BARBATIANUS, et utrum ad restitutionem teneatur?*

2° *An fiscum indemnem facere debeat pro mulctis quibus caruit, ob denuntiationis defectum?*

3° *An debuerit circumstantiam officii sui aperire, furta propria confitendo?*

SOLUTIO :

24. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° BARBATIANUS peccavit quidem contra justitiam pro ratione negligentiae in officio suo adimplendo; attamen non tenetur ad restitutionem, quando, facta inquisitione, non ipsi constat damnum inde subsecutum esse, quia obligatio restituendi non potest esse certa, si damnificatio incerta est. Quando autem *damnificatio*, proveniens ex negligenti custodia, moraliter certa est, quamvis adsit dubium circa *quotitatem* ejus, tunc restitutio etiam certa est quoad radicem, et incerta secundum *quotitatem*. Restituendum est igitur pro rata dubii; nam certum est custodem debere aliquid restituere. 2° Minime peccat dum se abscondit ut facilius damnificatores deprehendat, quia non est causa damni ab eis patrat, et insuper justam habet rationem damnificationem permittendi, ut melius delinquentes corrigat, et majora damna in futurum avertat. 3° Non videtur arguendus ex hoc quod delicta minoris momenti prætermittat, seria tamen admonitione præmissa, ne iterent; sicut aliquando faceret ipse dominus cujus intentio recte præsumitur. 4° Peccat graviter *per se*, pecuniam a damnificatoribus accipiendo ne eos denuntiet, et ipse pro illis damnum resarcire debet. An vero accepta munera reddere debeat? *Neg. probabiliter, post factum, juxta dicta de judice, in simili casu, et de contractu in materia turpi, cas. 1 et 2; de Contr. in gen. tom. 1, n. 767.*

25. — *R. ad 2^m Quæs. Probabiliter* non tenetur restituere pro mulctis quæ a delinquentibus solutæ fuissent, si eos denuntiasset, quia non constituitur ut fiscum adaugeat. *Recole dicta supra n. 22, et tom. 1, n. 752 et 755.*

R. ad 3^m Quæs. Probabiliter confessionis integritati satisfecit, licet præfatam circumstantiam reticuerit, quia ipse, furando, non duplex sed unicum fecit peccatum, scilicet, furtum: non fuit enim constitutus ad seipsum, sed ad alios a damnificatione impediendos.

CASUS XI.

MEDICUS.

1° FLAVINUS, medicus, pauperibus petentibus auxilium præstare abnuit, ex eo quod nullam mercedem ab eis obtenturus sit. Aliquando etiam artis suæ opem denegavit, diviti, a quo alias nunquam pro cura sua salarium ullum obtinere potuit.

2° PHILO, Hippocratis discipulus, cum advocatus fuisset ad ægrotum phthisi laborantem, remedia ei præscripsit, et pluries iterum eum invisit,

licet plane novisset hæc omnia prorsus inutilia fore, et ægrum intra paucos dies moriturum esse. Dubitat postea, utrum ad restitutionem teneatur.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quatenus medicus pauperibus et aliis necessitate pressis succurrere teneatur, et quid de FLAVINO.*

2° *An FLAVINUS peccaverit, prædicto diviti succurrere nolendo?*

3° *An mercedem requirere valeant medici, si remedia inutilia præscribant, aut superfluas visitationes peragant, et quid de PHILONE?*

SOLUTIO :

26. — *R. ad 1^m Quæs.* Tenetur medicus pauperibus in mortis periculo versantibus gratuito succurrere, eos invisendo et aptas medicinas præscribendo, nisi ægrotus ab aliis medicis adjuvari possit. Hujusmodi obligatio ex generali præcepto caritatis fluit. *S. Lig. l. 5, n. 291. — Pontas, verbo Médecin, cas. 2.* — Hinc patet FLAVINUM peccasse, et quidem *per se* graviter, cum omnibus pauperibus opem artis suæ denegaverit; de numero enim pauperum plures in gravi mortis periculo versantur, nec facile alium medicum habere possunt.

27. — *R. ad 2^m Quæs.* An vero peccaverit FLAVINUS recusando succurrere diviti, a quo salarium alias obtinere non potuit? *Affirm.* si ille dives alium medicum arcessere non possit, ut facile evenit in locis a civitate dissitis, ubi unicus reperitur medicus, et æger in gravi periculo versatur. Ratio est, quia lex caritatis obligat ad succurrendum in necessitate versantibus, licet indignis, vel inimicis. Ipse autem actionem juridicam servat tum erga ægrotum illum, tum erga ejus hæredes, ut salarium debitum obtineat. *Pontas, ibid. cas. 3.*

28. — *R. ad 3^m Quæs.* Medici peccant quidem *per se*, si, non vocati, frequentes simul et inutiles visitationes ægrotorum peragant, et remedia inutilia præscribant, perinde ac si ea omnia essent necessaria, vel utilia. Excusantur autem ab omni labe injustitiæ, si familiam ægrotantis præmoneant de vero illius statu, necnon de inutilitate remediorum, vel si consensum familiæ rationabiliter præsumant. Tunc enim verum jus habent ad salarium, quia cura ab ipsis adhibita non est omnino inutilis, siquidem inservit ad animum ægro faciendum. Hinc PHILO ab omni onere restitutionis immunis evadit, quia ejusmodi ægroti inutiles non sunt medici visitationes, licet morbum neque curare neque physice sublevare queant; æger enim a medico derelictus facile animum abjiceret, et corporis etiam majus detrimentum pateretur. *Pontas, cas. 5.*

CASUS XII.

PHARMACOPOLA.

GETULIUS, pharmacopola, medicinas juxta medicorum præscriptum præparare quidem satagit; attamen herbas nonnullas, pulveres, et alia medicamenta jam diu exoleta, ac nullius amplius virtutis, iis admiscere

solet. Imo aliquando, ob defectum rerum a medico præscriptarum, alias herbas vel species admiscet, ne officina sua deseratur, aut ne medici, hujusmodi defectum rescientes, ad alium recurrant.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An, vel quomodo GETULIUS contra justitiam peccaverit?*
 2^o *Quid, si loco unius rei tantum, sibi deficientis, rem aliam suo judicio æque bonam aut meliorem pro morbo ægroti cognito subministret?*
 3^o *Si infirmus rescierit medicinam non fuisse traditam juxta medici præscriptum, teneturne eam solvere, præsertim si nullum exinde senserit effectum?*

SOLUTIO :

29. — *R. ad 1^m Quæs.* GETULIUS multipliciter contra justitiam peccavit, scilicet : 1^o quia res nullius pretii pro veris mercibus vendidit, cum detrimento ementium, qui noluerunt res ejusmodi sibi comparare, nec proinde contractui consensum dederunt; 2^o quia res nullius virtutis pro efficacibus remediis tradidit, cum jactura sanitatis infirmorum, qui periculo mortis vel tardioris convalescentiæ expositi sunt; 3^o quia nocuit etiam medicis, qui famæ imminutionem etiam pati potuerunt, ex eo quod præscripta ab eis remedia nihil aut parum profecerunt. *Elbel, de Contr. in genere, n. 304.*

30. — *R. ad 2^m Quæs.* Id tolerari potest in aliquo casu particulari, ex rationabili causa, v. g. ne officina deseratur, propter defectum insolitum alicujus rei quæ brevi comparabitur, modo res alia quæ traditur reapse sit æque bona, utilis et proficua, seu conducens ad usum et finem comparantis; tunc enim præsumi potest ementem non esse rationabiliter invitum. Hoc tamen difficile permittendum est, quia cupiditas lucri facile vendentem inducere potest ad res minoris pretii, loco remediorum præscriptorum, tradendas. *Elbel, ibid., n. 305.*

31. — *R. ad 3^m Quæs.* 1^o Si medicina fuit omnino aliena a præscripto medici, aut composita ex rebus jam exoletis et nullius virtutis, emens non tenetur pretium pro ea solvere; quia error fuit substantialis in contractu, et proinde corrumpitur ipse. 2^o Si vero res diversa fuit in aliqua specie tantum minus notabili quam illa quæ fuit a medico præscripta, valet contractus, et emptor ad pretium rei solvendum obligatur; quia adhuc, juxta moralem existimationem, censetur esse eadem medicina a medico præscripta. *Elbel, de Contr. in gener., n. 306.*

CASUS

DE STATU CLERICALI

SEU

De Vocatione clericali, de Officiis Clericorum, de Breviario, de Obligationibus Parochorum, Vicariorum et Canonicorum.

CASUS I.

VOCATIO CLERICALIS.

1^o ALBINUS, peractis studiis, statum clericalem suscipere proponit. Sed Confessarius, cognita ejus vita, perpensisque dispositionibus, dubius et anceps non audet pœnitentis propositum approbare. ALBINUS pergat ad alium, a quo nec certum responsum obtinere potest. Interea vero, cum a superioribus ad sacros Ordines advocatur, dubium omne excutit ipse, resolutio animo ad subdiaconatum accedendo.

2^o DAVIUS, absoluto sacre theologiæ curriculo, repente spreto Confessarii monito, et seminario et vocationi valedicens, subridenti mundo et subridet ipse. Sed paulo post, cum confiteretur, acriter increpatur a Confessario, eo quod graviter peccaverit derelinquendo vocationem, et ei denegatur absolutio, nisi statim redire ad seminarium promittat. DAVIUS autem recusat obtemperare, quia vocatio est de *consilio*, non vero de *præcepto*.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An detur vocatio graviter obligans ad clericalem statum amplectendum; et quomodo dignoscatur?*
 2^o *Quomodo peccet ille qui Ordines sine vocatione suscipit?*
 3^o *Quid agendum foret erga eum qui sine vocatione Ordines sacros suscepisset?*
 4^o *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

32. — *R. ad 1^m Quæs.* 1^o Certo datur vocatio divina ad Sacerdotium. Constat ex clarissimis Scripturæ sacre testimoniis. Sic (Heb. v. 4) : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* — Et (Joan. xv. 16) : *Non vos me elegistis, sed elegi vos.* An vero hæc vocatio obliget sub gravi? Affirmandum videtur, quando signa indubia vocationis habentur, id est, ob maxima salutis pericula in quibus versabitur ille qui, sprete vocatione divina, proprio Marte, aliquem statum mundanum amplectitur. Hinc ait S. *Lig.* hanc vocationem tanti esse momenti, ut ab ea pendeat æterna salus, tam ordinandorum, quam multorum fidelium.